

um status miserrimus, in quo semi mortui, semi suffocati animam tam aegre & anxie trahunt, vt potius eam summas inter anxietates prorsus exspirare cupiant. Id quod SYDENHAMVS in se ipso expertus, eam, inquit, esse animae conditionem, quae omnium peracta nulli rei acquiescat. Eodem iudice peripneumonia materiae podagricae retropulsae aliquando effectus est. Constat ex anatomicis, quod neruuli paris vagi, arteria pulmonalis & bronchialis, per totam pulmonum substantiam in quouis puncto non solum concurrant, sed & vtrasque arterias accurate incingant fibrillae nerueae, quae propterea materia irritante, quam admiserunt, plenae per contractionem spasmodicam minuunt diametrum arteriolarum, vt in his sistatur sanguis, & inflammatio eo maior oriatur, quo validior a tergo vrget vis cordis. Dolor laterum pleuritidis aemulus ab HIERONYMO CAPIVACCIO, (a) vt effectus introuersae podagrae, citatur. Alii phthisin, alii catarrhum suffocatiuum aliosque morbos inde ortos accurate annotarunt.

## §. XII.

At nusquam turbae ex retrocedente podagra magis sunt conspicuae, quam in abdomine, quo prior huc est ex loco affecto aditus. Hic occurrunt cardialgiae, nauseae, vomitus, ructus, singultus, anxietatum, dysuriae, torminum (b) ventris & aliorum malorum infausta nomina. VIT. RIDLINVS ob secessum materiae

(a) In Conf. a SCHOLTZIO collect. Conf. 226.

(b) Vid. SYDENHAM Lib. cit. p. 447.